

Franckesche Stiftungen zu Halle

D. Io. Henrici Michaelis, SS. Theol. Item Gr. Ac OO. LL. Prof. Pvbl. Ord. Praefatio Sev Brevis Introductio In Ezechielis Prophetiam

Michaelis, Johann Heinrich

Halae Magdebvrgicae, MDCCXXXIV.

VD18 13058339

[Praefatio In Ezechielem.]

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-202690



§. I.

Vod bene feliciterque vertat DEVS T. O. M. *Transitio ad*
ad Ezechielis visiones, breuiter pro nostro in-
stituto declarandas, accedimus. Cuius (τῆ
visiones Eze-
χιελis:
προφητῶν θαυμασιωτάτε καὶ ὑψηλοτάτε, sec. Gre-
gor. Nazianz. orat. 23. p. 420.) quum omnium
 consensione nobilissima & difficillima visa sint, multaque
 ac varia conciones; non inconsultum aut inutile erit, si
 etiam heic nonnulla præmitteremus generalia monita, qui-
 bus incipientium animos excitare, & ad consideranda hæc
 mirabilia Dei paratiores quodammodo reddere possimus.
 Neque tamen multi erimus in repetendis illis, quæ vel
 alibi, vel ad ipsum Ezechielis librum adnotata iam sunt;
 quin potius velut in compendio tantum referemus, quæ
 huc pertinent; paullo autem vberius vnum vel alterum
 momentum edisseremus, quod per chartæ angustias ad
 ipsum textum commode adiici non potuit.

§. II. *Nomen* noster nactus est **Ἰεζεκιήλ** IECHÉZKIEL, *cuius Nomen;*
 vulgo EZECHIEL, quod ab inuicta potentia Dei & Ser-
 uatoris nostri desumptum, idem significat, ac si diceret,
praualebit DEVS! Nempe fidem suam non tantum expli-
 cabant pii parentes per nomina, quæ liberis imponebant;
 sed & ipse noster Propheta, vt *Iosua, Iesaias, Hoseas* aliique,
 etiam nomine suo **CHRISTVM**, *tanquam DEVM omnipo-*
tentem

tentem & fortissimum heroem, a) qui superatis tandem omnibus hostibus æternum sit regnaturus, prædicabat, atque aduersus quasvis tentationes & difficultates in obeundo munere suo prophetico semet ipsum quoque vel sola recordatione & significatione nominis sui erigere ac confirmare poterat. b)

Familia,

§. III. Filius autem fuit BVZI, Aharonidæ s. Sacerdotis: qui qualis in vita sua fuerit, pius an impius, de eo nihil memoriæ in S. litteris proditum est; meliora tamén ex charitate & ex filii nomine de illo quoque præsumimus.

& Gens;

Quod vero ipse etiam Buzi Propheta fuerit, (nisi ordinarium illud docendi munus Sacerdotum in V. T. intelligas) id nuspiam S. Scriptura indicat, adeoque nec probat illud incerta Hebræorum regula: quod Prophetae fuerint etiam patres Prophetarum, quando parentum nomina in sacris commemorata reperimus, *) ut dudum Christiani interpretes recte monuerunt. Fuit itaque noster natalibus suis Sacerdos, & secundum œconomiam Vet. Test. minister Dei in populo suo ordinarius: quamuis tum in Babylonia neque Templum curari, neque cruenta sacrificia offerri potuerint.

Ac

a) Confer. Esa. 9, 5. c. 40, 10. b) Abarbanel in Præf. ad hunc librum fol. 153. col. 4. לפי שהנביא הזה חזק ואמץ לבבות בני ישראל בנבואותיו נקרא בהשגחת השם מלידה ומבטן יחזקאל ר"ל מספר חזק האל וגבורתו כגאולה העתידה כי הנראה שמות הנביאים לא יחשוב אדם שהיו מפעל הבחירה ורצון יולדיהם אבל מן השמים בדרך השגחה נמשכה קריאת שמותיהם מסכים עם פעולותיהם ומעשיהם וגו' Quia, inquit, hic Propheta confirmavit & corroborauit animos Israelitarum, per diuinam providentiam a natiuitate & ab utero adpellatus est IECHESKIEL, i. e. Propheta, qui predicaret robur & fortitudinem Dei in futura redemptione præstandam. Nemo enim sibi imaginetur, nomina Prophetis imposta esse ab arbitrio & voluntate parentum; sed celitus per diuinam providentiam eiusmodi nomina ipsis indita fuisse, quæ ipsorum operationibus & factis conueniebant. Vide etiam sequentia fol. sequenti 154.

*) Vid. David Kimchi ad Hof. 1, 1.

Ac licet eo tempore ut etiam postea, Mal. 2, 8. plerique Sacerdotes recesserant a via Domini, Ezech. 22, 26. servavit tamen DEVS Aharoni semen aliquod fidele & sanctum, a quo gratiam suam non abstulit, & per illud etiam populum erudiuit, ut Ieremiæ quoque exemplo certum est, Ier. 1, 1. &c.

§. IV. Patriam ergo habuit Ezechiel Iudæam s. regnum Iudæ: in quo & natus fuit, & vixit, quando cum Iechonia aliisque per Chaldaeos octavo Nebucadnetaris anno in exilium abductus est, c. 1, 2. 2 Reg. 24, 12. 14. non quidem tunc puer, ut vulgo Iosephum intelligunt in Antiq. Iud. lib. 10. c. 8. sed potius πᾱῖς ὄν, iuvenili etate. Eum namque non tantum, quinto post exilium suum anno, gravissimo muneri adhibuit Dominus, c. 1, 2. sed porro post quadriennium, siue nono deportationis suæ anno, etiam viduum fecit, c. 24, 1. 18. Locus vero visionum non Hierosolyma aut patria terra fuit, etsi aliquoties ad eam in Spiritu S. per ecstasin diuinam raperetur; sed in Chaldaea aut inferiore Mesopotamia ad Chaboram fluvium, iuxta quem non exiguo numero exules Iudæi degebant. Vid. c. 1, 1. & ibi notata. Deus namque, totius orbis terrarum Dominus, nulli terræ aut loco (quæ Iudaica opinio est) alligavit χαλσικῶτα & regnum suum: ut quocunque in loco commemoremus nomen ipsius, ipsum ibi præsentem esse cum Christo & Spiritu suo, persuasi simus. Ita vero, ut bene monuit Cocceius, c) Deus populum non deseruit, sed cum eo quasi in exilium iuit, magnoque beneficio dedit illis Prophetas d) etiam in medio gentium, in terra impura, & visiones maximarum rerum indices. Quod Iudæis post excidium Tem-

Patria,

Aetas,

Locus visionum.

a 3

pli

c) in Comment. ad h. l. §. 4. & 8.

d) Quos inter primus fuit Ezechiel, deinde etiam Daniel; & ut quidam non male colligunt, Ezechiel prophetiam suam ad illos, qui habitabant in Ierusalem, misit; quemadmodum Ieremias vicissim epistolas ad Babylonienfes dedit, ut vnius in diuersis regionibus Dei providentia probaretur. Conf. not. ad c. 16, 2. & D. 10. Meyeri Dissert. ad ultima Ezechielis p. 14.

pli ultimum dispersis non contigit. Abiit enim tunc ab iis prophetia: & discipuli Christi Euangelium omnibus gentibus praedicarunt ac prophetarunt, quos adspersati illi sunt, atque ita Spiritum Dei e synagoga sua eiecerunt. Conf. not. ad Ezech. 34, 12. Ier. 24, 5. seqq. item not. Ier. 29, 15. & Praef. in Ier. §. 5.

*Synchroni-
smus*

verorum

*& falsorum
prophetarum.*

§. V. Quo autem anno Ezechiel in Chaldaea propheta-
re incepit, Ieremias Hierosolymis iam trigessimum quartum
muneris sui prophetici exegerat, vna cum nostro mini-
mum octo adhuc annos eodem officio magno cum labore
perfunctus. Cumque noster inceperit anno post exilium
suum quinto, & vaticinatus adhuc sit anno vigesimo septimo,
vt ex c. 29, 17. constat; minimum per viginti duos annos
propheticum munus sustinuit. Ultima enim omnium
ipsius visio s. prophetia non est ratione temporis, quæ c.
40. seqq. ad finem vsque libri describitur, prout etiam il-
lic adnotauimus. Coenos igitur ex veris prophetis in Ba-
bylonia habuit Danielelem, & in Iudæa, præter Tzephaniam,
(qui eadem interdum cum nostro dicit, coll. Ez. 7, 19.
& Zeph. 1, 18.) inprimis Ieremiam; vt etiam Praefat. ad Ie-
rem. §. 5. diximus. Vti vero diuinam veritatem, quam
Ieremias obstinato populo in Iudæa adnunciabat, egregie
confirmabant Zephania, Ezechielis aliorumque seruorum
Dei testimonia; ita tamen eadem ætate vtrobique, tum in
Iudæa, tum in Babylonia, etiam non defuerunt falsi vates,
2 Petr. 2, 1. qui grata auribus vulgi, blandaque somnia nun-
ciabant, vt omnibus chari & in pretio essent; sicut ad c. 12,
24. & c. 22, 28. ex aliis notauimus. Atque ita, quod isti
Dei homines concionibus suis ædificabant, hi ex aduerso
mendaciis suis audacter conuellebant ac destruebant. Nec
tantum in Babylonia erant Achabus Kolaia, & Zedekias Ma-
assa filius, mira populo pollicentes; ridentesque illorum
facilitatem, qui temere adeo vaticiniis Ieremiæ persuasi
patriam deseruissent, neque extrema potius pro libertate
eius aduersus Babylonios tentassent, Ier. 29, 20. 21. sed
etiam

etiam ibidem erat *Semaia Nehelamites*, qui audacissime ad Hierosolymitanum Pontificem, quasi ex diuino instinctu, scribebat, arguens eum velut segnem & mollem, quod non seuerius in Ieremiam, tanquam phreneticum aut arreptitium, animaduerneret, eumque comprimeret. Vide l. c. v. 24. Sicut etiam Hierosolymis *Chananias*, *Azzuri* filius, quarto Zedekiae anno, publice in Templo coram sacerdotibus & reliquo populo aduersus Ieremiam strenue diuinum mentiebatur oraculum, Ier. 28, 1. seqq. De quibus omnibus confer etiam Praef. nostram in Ierem. §. 5. & quae hic notauimus ad c. 22, 25. Immo etiam *ex sequiori sexu* non deerant *falsa vates*, quae diabolico ausu vesanis suis deceptionibus *nomen Iehouae* prætexebant. Vide nostrum c. XIII, 2. 17. seqq. c. XXII, 28. &c.

§. VI. Incidit autem *initium huius prophetiae* Ezechielis *in medium fere tempus regni Zedekiae*, quando respublica Iudaeorum quasi reflorescere & vires aliquas recuperatura videbatur, percusso foedere cum potentissimo Aegyptiorum Rege, æmulo Nebucadnetaris, hoc ipso vel sequenti anno. At quia id Zedekias cum suis faciebat nulla pietate in Deum, & pessima fide in Babylonium, non, nisi tristissimum quoque res illa habuit euentum. Magnam sane spem Iudaeis de se excitauerat Zedekias, Thren. 4, 20. poteratque feliciter satis sub Babylonio Rege cum suis vivere, si monitis Dei, per Ieremiam expositis, fuisset obsequutus. At neglecto Dei verbo, & violato iure iurando, quod in obsequii fidem per sacrosanctum *Iehouae nomen* ab illo exegerat Babylonius, ille iugum eius excussit ac rebellauit, partibusque Aegyptii aduersus Nebucadnetarem accessit. Id quod falsis prophetis in Iudaea & Babylonia verbum Dei, quod Ieremias dixerat, miris modis calumniandi occasionem praeiuit: & in contumeliam ipsius Iehouae, per cuius nomen fidem pollicitus erat Zedekias, apud Babylonios cesit. Vnde istam Zedekiae perfidiam grauisime in Babylonia sequenti anno ei exprobrauit Ezechiel, vt legimus c. 17, 15. seqq.

Status reipublicae Iudaicae.

§. VII.

*Impietas po-
puli & indi-
cni Dei.*

§. VII. Interea *populus* cum in *Babylonia*, tum in *Iudaea* (namque ad hos comparati illi meliores erant, coll. Ezech. 11, 15. seqq. Ier. 24, 1. seqq.) quod ad maximam sui partem, in impoenitentia & pertinaci obstinatione mentis aduersus verbum diuinum perseuerabat: quod Rex & Principes, Sacerdotes etiam & Doctores malo exemplo reliquis praeirent. Ideo non solum a Deo frequentissime *familia inobedientia* hic audiunt (vide c. 2, 5. seqq. c. 12, 2. c. 24, 3. c. 44, 6.) & dura vaticinia pronunciata in illos sunt; sed seuerissima quoque Dei iudicia maturata fuerunt: ad quæ alioquin ipse, pro ineffabili clementia sua, non vno impetu, sed lento admodum gradu, & quasi inuitus, procedebat. Nihil enim omisit benignissimus Deus, per Prophetas eos monendo & adhortando, vt exitio eriperentur; sed illi, inexcusabiles quidem facti, plerique tamen maluerunt perire, quam verbo Domini obsequi. Vide Ezech. 7, 2. seqq. c. 21, 30. & conf. Præf. in Ier. §. 11. 12. 13.

*Ezechielis fi-
des in obeundo
munere & fa-
ta.*

§. VIII. In ista ergo populi sui corruptione noster prope fluuium Chaboram in Chaldaea, e frequenti exulum coetu a Deo electus, & *prophético officio luculenter inau-
guratus*, c. 1, 1. seqq. seruum Deo fidelem se præstitit, tam in detegenda hypocrisis deportatorum exulum, inter quos agebat, quam in redarguenda impietate populi, in Iudaea reliqui, eiusque & aliarum gentium fati explicandis. Vnde tandem, si *Epiphania* (vel Scriptori, qui sub illius nomine vitas prophetarum in litteras retulit) credimus, martyrio vitam finiit, a Iudæis occisus; eiusque synagoga & sepulcrum adhuc hodie in Oriente inter Euphratem & Chaborum fluuium ostendi, ex *Itinerario Benjaminis* p. m. 77. seqq. tradit *Abarbanel*, in Præf. ad hunc librum fol. 153. col. 3. quod nos merito tamen inter incerta & suo loco relinquimus. Vide sis etiam *Schalsch. Hakkab.* f. m. 96. b. *Hottingeri* Cippos p. 82. *Huetii* Demonstr. Euang. p. m. 457. seq. & Io. *Mejerum* ad *Seder Olam* p. 979.

§. IX.

§. IX. Idem igitur Ezechielis argumentum fere est, quod Argumentum ceterorum Prophetarum, & in specie Ieremia, de quo Præfatio nostra in Ieremiam §. 17. consuli poterit. Agit namque Ezechiel in visionibus suis frequentissimis de fame, peste, gladio, & Iudæorum, in terra patria cum Zedekia superstitum, excidio, captiuitate ac dispersione per Nebucadnetzarem, adeoque gloria Dei, iustissimo iudicio, a Templo & Vrbe auferenda; eiusque iudicii causis; grauissimis scil. sceleribus & peccatis, inprimis fiducia in templo & cultu externo, item præfidiis humanis, Aegyptiorum aliorumque; quibus freti, perpetuam vel longissimam saltem immunitatem a malis, quæ Prophetæ denunciabant, sibi fastuose pollicebantur. Sapius tamen etiam, in paucorum piorum & totius Ecclesiæ solatium, agit de captiuorum liberatione & reditu, & de iudiciis Dei in vicinas & inimicas gentes. Inprimis vero & sapissime idoneis locis interserit conciones de CHRISTO, eiusque officio & regno, de gratia Euangelii, tandem etiam de restitutione Templi & urbis nouæ: *mysteria haud dubie inuolucro quodam Ecclesiæ proponens, vt Heideggerus in Enchiridio suo loquitur p. 270. De quo infra in hac Præf. §. 15. & 16. & in notis ad c. 40, 1. &c.*

§. X. Idem proinde etiam generalis & præcipuus scopus, qui Iesaiæ, Ieremiæ ceterisque, etiam nostro fuit propositus. CHRISTVS nimirum, eiusque regnum siue Ecclesiæ diuersis imaginibus repræsentata. Ideo (vt Calouius scribit ad hunc librum p. 497. seq.) sub initium exhibetur Christus, currum Euangelii & regni sui per orbem prouecturus, eiusdem gloria in progressu iterum sistitur c. 10. & 11. v. 23. & sub finem, capitibus nouem integris, Templi & Urbis ac ciuitatis spiritualis effigies adumbratur. Ideo & in ipso exitu urbis Christus introducit suos signo notans, ne simul pereant, c. 9. & promissa liberatio e captiuitate ac reductio populi propter regnum Christi in Iudæa conseruandum: donec aduentu suo id per totum orbem

inde propagaret. Ideo etiam *coniunctio Israelis & Iudae* mystica promissa est, capp. 11. 20. 29. & 37. & *peccatorum remissio*, c. 16. ac *regni Christi propagatio*, c. 17. & *gratiosa Dei voluntas* iureiurando confirmata, c. 18. & 33. Ideo & Christus, *Pastor ille bonus*, promittitur c. 34. ac conuersio gentium ad eundem c. 36. vt & resuscitatio fidelium ad aeternam vitam c. 37. hostiumque Ecclesiae deletio c. 38. & 39. Ac profecto, vt iam supra §. 4. indicauimus, singularis hæc bonitas ac gratia Dei fuit, quum diabolus in Babylonia & Iudæa instrumenta sua s. deceptores haberet, qui omni nisu veritati diuinæ, quam Ieremias voce & scriptis proponebat, repugnarent, quod illis Ezechielem apud captiuos legitimo prophetandi munere opposuit, ne mendaciis obsequentes, etiam qui in Babylonia supererant, cum istis deceptoribus misere perirent; sed & qui Hierosolymis erant, audientes Ezechielis vaticinia cum prophetiis Ieremiæ per omnia conspirare, non parum de illarum veritate confirmari poterant. Naturaliter enim fieri haud potuit, vt alter Hierosolymis, alter in Chaldæa, sic quasi ex vno ore vaticinia sua proferrent. Conf. *Heideggeri Enchirid. Bibl. p. 272.*

Partes libri.

§. XI. *Partes libri* non vno modo constituunt Interpretes, totumque hoc vaticinium in XXII. visiones s. periochas propheticas distribuit *Heideggerus* in *Enchirid. p. 273.* Distincte vero post *titulum* totius libri c. 1, 1. 2. 3. agitur I. de *vocatione & destinatione Prophetæ* ad munus suum, c. 1 - 3. II. de iudiciis Dei *aduersus Iudæos*, & de excidio vrbs per Babylonios, c. 4 - 24. III. *aduersus gentes*: (1) *Ammonitas*, c. 25, 1 - 7. (2) *Moabitas*, c. 25, 8 - 11. (3) *Idumæos*, c. 25, 12 - 14. coll. c. 35, 2. seqq. (4) *Philistæos*, c. 25, 15 - 17. (5) *Tyrios*, c. 26 - 28. (6) *Sidonios*, c. 28, 20. seqq. (7) *Aegyptios*, c. 29 - 32. IV. *Promissiones & consolatio-*

e) Quorum iam facta erat mentio c. 21, 33. seqq. occasione eorum, quæ ibidem dicta sunt c. 21, 24. 25.

lationes f) sequuntur 1) de gratiosa Dei voluntate erga poenitentes, c. 33. 2) de Bono illo pastore, c. 34. 3) de vindicta ab hostibus, cum primis Idumæis, c. 35. 4) de reditu & congregatione Israelis ad regnum Christi, c. 36. 5) de resuscitatione mortuorum, & vnione Israelitarum, c. 37. 6) de interitu Gogi & Magogi, c. 38. 39. 7) de nouo Templo & vrbe, c. 40. seqq. vbi agitur 8) de restitutione Templi, c. 40-42. 9) de ipso cultu, c. 43. & 44. 10) de reformatione totius regni, c. 45-48.

§. XII. Ceterum vaticinia sua & visa, a Deo sibi oblata, ipsemet Ezechiel litteris consignauit, vt omnia huius libri docent. g) In quibus *ordinem naturæ & temporis* factis accurate seruauit; nisi quando certa ratio exigebat, cur alterum vaticinium nonnunquam cum priori coniungeret, aut huius implementum ex sequentibus temporibus illi statim adnecteret. Confer notas nostras ad c. 26, 1. c. 29, 1. & v. 17. c. 30, 20. c. 31, 1. Non itaque dubitamus, quin ad annum regnantis Zedekiae (vel deportati Iechoniae) quintum referenda sint *primum* & sequentia capita, vsque ad c. 7. inclusiue; ad annum VI. c. 8-19. ad VII. & VIII. annum c. 20-23. ad IX. c. 24. & 25. ad X. c. 29, 1-17. ad XI. annum c. 26, 27. 28. item c. 30, 20. seqq. c. 31, 1. ad XII. c. 32. & 33, 21. ad XIII. vero & XIV. *Lightfootus* in Chronol. sua p. 130. refert c. 34-39. Ad annum XXV. autem pertinet c. 40. & sequentia vsque ad libri finem. Ad XXVII. denique c. 29, 17. seqq. & sec. nonnullos c. 30, 1-20. quamuis hoc fortassis melius referri possit ad annum X. coll. c. 29, 1. & c. 30, 20. Conf. etiam *Lightfootum* in Chronol. V. T. p. 131.

b 2

§. XIII.

f) Quas alii demum a 40. capite incipiunt.

g) Nec audiendi sunt Talmudici, qui Viris Synagogæ magnæ (Ezra & Collegis Haggæo, Zachariae, Malachiae, Zerubabeli, &c.) elucubrationem huius & aliorum librorum, etiam Danielis & Estheræ tribuerunt, quod extra terram sanctam permissum non fuerit vaticinia diuina conscribere. Vid. Tract. *Baba bathra* c. 1. fol. 15. a. & *Scheleth Hakkab.* fol. 66. b. & 69. b.

Chronologia.

§. XIII. Circa *Chronologiam* tamen Ezechielis multa etiam & varia dubia mouentur, de quibus necessaria suo loco monuimus. Vnicum tantum hic speciminis loco discutiemus, ex ipso statim initio libri enatum. Verba, quibus incipit Propheta, hæc sunt: *Et factum est trigésimo anno &c. c. 1, 1.* Hic, quia non indicat, sed aliunde colligendum relinquit *terminum, a quo* numerauerit hos 30. annos, in varia abeunt docti viri. *Lightfootus* namque in *Chronol. p. 123.* & *Maius* in *Oecon. V. T. p. 1027.* aliique, cum auctore *Schalscheleth Hakkab. f.m. 96. b. ad aetatem Ezechielis, & annum vitæ eius trigésimum* id referunt: quo tempore *Leuitæ & Sacerdotes ministerium suum alias adgredebantur, ut* legimus *Num. 4, 23. 30. &c.* sicut etiam *Christus Seruator noster Luc. 3, 23.* Alii vero, ut *Vsserius* in *Annal. V. F.* & celeberrimi quidem Interpretes, *Iunius, Cocceius, Calouius &c.* annum *trigésimum Legis ab Hilchia repte,* & foederis cum Deo, cultusque eius solemniter a *Iosia* instaurati, ac *Pascha* solemnissime celebrati, intelligunt. Ita etiam *Chaldaeus* interpres s. *Ionathan* addit: *a tempore, quo Hilchia, summus Sacerdos s. Pontifex, librum legis inuenerat &c. 2 Reg. 22, 8.* Quippe *Iosias Pascha illud celebravit sec: 2 Reg. 23, 23.* anno regni sui *decimo octauo* ineunte: *h)* adeoque post illud regnauit *quatuordecim annos, i)* coll. *2 Reg. 22, 1.* *Ioiakimus* autem *undecim; 2 Reg. 23, 36.* Adde his *quinque Iechonia* vel *Zedekia* annos ex *Ezech. 1, 2.* & prodeunt *triginta anni:* quos, dum *Kimchi* a *Iubileo* numerat, *Raschi* ex *Seder Olam* cum precedenti sententia istam, nescio qua ratione, coniungit in *Comment. ad Ezech. 1, 2.* Et sane tantorum beneficiorum solemnis recordatio facile *Iudæis* nouam annos numerandi rationem suppeditare poterat; in quam sententiam etiam confer *Præfat. in Ierem. 9, 7.* Magis tamen cum aliis inclinamus

h) Mense enim primo *Pascha* celebrandum fuit, ex lege *Exod. 12, 1.* seqq.

i) Quibus *Iachazi* duos vel tres menses includimus, ex *2 Reg. 23, 31.*

namus ad aram Nabopollassari, quæ in Chaldaea, vbi Ezechiel scribebat, tum in usu & notissima erat. Vid. Ios. Scaliger de Emend. Temp. lib. 5. p. m. 218. Et Vitringer: Sic intelligendus est Ezechiel, (inquit) vbi ipse auspicia ministerii sui consignans scribit *anno trigesimo*, eumque copulat cum *quinto deportationis Iechoniae v. 2.* Si enim annis Nabopollassari 21. quot illi dantur in Canone Ptolemæi, subducas biennium, quod Nebucadnetfar cum Patre regnavit, inuenies, quos quæris, *annos XXX, ab initio Nabopollassari usque ad deportationis Iechoniae quintum*; in typo doctrinæ proph. p. 41. Conf. etiam Aegid. Strauchii Breuiar. Chronol. p. 515. seq. Edit. Lips. 1708.

§. XIV. Ceterum quod ad ingenium & doctrinam, *Stylus & modus orationis* item orationem ac stilum Ezechielis attinet, purus, tersus *duo proponendi* ac grauis eius sermo est, nihil habens, quod cum venusta te Hebraicæ linguæ pugnet, vt temere etiam hic, sicut de Ieremia, censuit Abarbanel in præfatione sua ad h. l. fol. 154. col. 1. sed pro re nata diligens est inculcatio per vocabula & phrasés aptissimas, etli nostro æuo difficiliore, & non vbiuis in ceteris libris Biblicis obuias. Mirum certe est, contrarium quibusdam visum esse, e. c. c. 12. 1. seqq. *Sed pronunciet quis illa omnia sec. membra sua, paululum subsistens in singulis, & videbit,* (vt recte Cl. Cocceius ad c. 12. §. 6. notat) *omnia, uti oportebat, scripta esse.* Eo utique valuit noster Propheta ingenio & eruditione, vt præterquam, quod incomparabili prophetiæ dono a Deo instructus esset, ob pulcherrimas sententias, illustres comparationes, magnam rerum multarum, inprimis eximiam militaris & ciuilis architecturæ cognitionem (vide c. 4. 1. 2. 3. & c. 40. ac seqq.) non cum Homero, vt male putauit Grotius, sed cum maximis & summis Prophetis sit comparandus: quod late etiam ostendit Abarbanel in Præf. ad Ezechielem fol. 353. Videatur quoque Io. Mayeri Differtatio ad vltima capita Ezechielis p. 1. 2. Nec tamen apertis tantum verbis consilium Dei exposuit, sed quam

plurima etiam per *figuras*, *symbola* & *typos* demonstraui, quæ & illius ætatis homines in admirationem raperent, & omnium temporum ingenia exercerent. Sunt enim reuelationes, quas a Deo accepit, siue sublime fictionis ingenium, siue sensus sublimitatem spectes, plane mirabiles, & nullius humani tantum ingenii viribus, siue Spiritus S. gratia & verbo penitus intelligendæ aut peruicæ.

*Exemplum ex
primo viso ca-
pitulis I. cuius
describitur
a) imago;*

§. XV. Parebit illud vel vnico *exemplo primi visi*, c. 1. descripti, quo Deus eum dignatus est *ab initio vocationis ad extraordinarium & propheticum munus*. Omnium enim Iudæorum & Christianorum Interpretum consensu inter emblemata prophetica nullum hoc ipso illustrius & nobilius, sed & nullum intellectu difficilius est, ac magis abstrusos recondit sensus. Quos vt eruerent, semper quidem a Viris doctis & piis laboratum est, non pari tamen ab omnibus successu; vt maxima ostendit Iudæorum & Christianorum Interpretum dissensio, quam hic breuitatis causa non recensemus. Vid. B. Iac. *Thomasi* Dissert. de Insignibus IV. Euangelistarum. Lips. 1667. Nouissime autem, post sollicitos harum rerum scrutatores Cl. *Cocceium* in Comment. in hunc librum, & doctissimum *Lightfootum* in descript. Templi Hieros. c. 38. T. I. Operum, p. 651-658. augustum hoc visum more suo solide considerauit doctissimus *Vitringa* in lib. 4. Observ. Sacr. vbi c. 1. eius *imaginem* cum cura dispicit, capite vero 2. *sensum* eius s. mysticam significationem, studiose eruit. *Summa imaginis rerum*, quæ menti Prophetæ a Deo obiectæ sunt, ex descriptione Cl. Viri loco cit. c. 1. p. 2. seq. huc redit: *Ezechielem, grauissimo muneri prophetico initiandum, per ἔκστασιν vidisse procellosum ventum suscitatum e septemtrionibus; vento iunctum fulgentissimi ignis splendorem, nube circumdatum; ex igne vero prodiens candens quid & eximie coruscans ad instar electri; vnde formatae sunt, Prophetæ vidente, species quatuor animantium, iun-*
ctarum

Starum totidem *Rotis*, alis suis *k)* sustentium celsum quendam *thronum*, cui *Deus* humana forma, veluti Rex quidam aut Imperator infidebat. Animantes illæ composita erant ex quatuor præcellentium animalium, *Homini*, *Aquila*, *Bovis* & *Leonis* speciebus: *l)* quadruplicem singula ad quatuor latera præferentes *faciem*; positura ceteroquin corporis (erecta &) ad *humanam* accedente; *pedibus*, quod ad infimam eorum partem, *vitulinis*: *alis* instructæ *quatuor*; binis manus, pedes & partes corporis minus conspicuas tegentibus; binis alis sursum elatis *m)* & iunctim sustentibus solum diuinæ maiestatis. Animantibus aderant (earumque basin sustinebant) *quatuor Rota*, spectatæ altitudinis, totidem rotas, ex transverso s. decussatim eas secantes complexæ; apsidibus instructæ & præterea *oculis humanis*, in iisdem adparentibus, conspicuæ. Simul autem tam *Rota*, quam Animantes acutissimo *fulgore*, ad instar *aris candentis*, *chrysolithi* aut *carbonum ignis*, coruscabant; eademque simul *rapidissimo* agitabantur *motu*, seorsum, vorsum, sursum, deorsum: vno eodemque *Spiritu*, qui Animantes mouebat, ipsas quoque agente *rotas*. Mouebantur autem recta, ita vt mouendo se nunquam ad aliam cali plagam conuerterent, aut situm suum mutarent: idque tanto cum *streptu*, quantum *aquarum concitatarum fluctus*, *vehementiora tonitrua*, aut maiores *exercitus*, ad prælium instructi, edere solent. Hæc præcipua sunt, quæ ab Ezechiele binis distinctis temporibus (anno videlicet exilii sui quinto, c. 1, 2. &

k) Vel capitibus, v. 22. 26.

l) Quarum figuras etiam in quatuor vexillis primariis Israelitarum quondam expressas fuisse, tradunt Hebræi. Vid. *A. b. Ezra* ad Num. 2, 2. ubi verba eius sunt: *Dixerunt Maiores nostri, quod in vexillo Rubenis expressa fuerit forma Homini -- in vexillo Iudæ Leonis -- in vexillo Ephraimi Bovis -- in vexillo Danis Aquile, ita vt exhibuerint formam Cherubarum, quos vidit Ezechiel Propheta.*

m) Vel recta extensis, & iunctis cum sociorum alis.

2. & sexto, c. 10. coll. c. 8, 1.) visa narrantur. Quae, quam sint adm. & omni attentione dignissima, quisque me non monente facile videt. Haecenus verba doctissimi Viri de imagine s. emblemate prophético.

b) Significatio mystica:

§. XVI. Quod vero ad mysticam eius significationem attinet, certis hypothesebus, iisque erudite adstructis, ipse quoque ostendit l. c. capite 2. per *insefforem* currus *Deum*, n) per *thronum* s. solium eius, quod animantes sustinebant, *regnum Christi*, cum typicum in Ver. Test. cum spirituale in Nov. Test. & per *Animantia* non tam *Angelos ministraturos* (ut alioqui sentit etiam Dn. D. *Ma. ius* in Oecon. Ver. Test. p. 1028.) aut 4. *Archangelos*, vel 4. tantum *Euangelistas*, quod veteribus placuit; nec tamen etiam totam sanctorum *Ecclesiam*, quod putavit *Cocceius*; sed *excellentissimos & extraordinarios omnium aetatum ministros Dei*, in N. T. praesertim Apostolos & Apostolicos viros; per *Rotas* autem *ordinarios verbi diuini Doctores*; quibus ceu instrumentis Deus in stabiliendo & promovendo regno suo, in his terris utitur, in S. Iohannis Apocalypsi per 24. *presbyteros* representatos, intelligi. o) Siquidem haec *quatuor Animalia* in tota illa visione Iohannis c. IV. Apocalypseos p) coniunguntur cum coetu *Presbyterorum* q) & *Angelis* non modo, sed & *omnibus Angelis* diserte contradistinguuntur Apoc. 7, 11. & imprimis Apoc. 5, 9. 10. 12. ubi totus coetus caelestis, qui erat coram throno, in *duos choros* s. classes diuiditur: Alterum constitutebant *Animalia & Presbyteri*, v. 8. alterum

n) h. e. Christum s. *Filium Dei*, coll. Esa. 6, 1. seqq. Ioh. 12, 41.

o) Ita *Calonio* in Prolegom. ad hunc librum significat currum *Euangelii Christi*, in quo per ministerium *Euangelii*, flatu *Spiritus Sancti* rebitur in omnes terrae partes.

p) Quae utique ad hanc *Ezechielis* conformata est: etsi alii aliud sentiunt.

q) Pro quibus hic *Rota* sunt, ut diximus.

rum *Angeli*, v. 11. Immo in doxologia, quæ Animalibus & Presbyteris tribuitur, *Animalia cum Presbyteris* agnoscunt & celebrant maximum illud *beneficium redemptionis per sanguinem CHRISTI*, quod sibi obligasse prædicant, v. 9. & quæ plura, post *Lightfootum* l. c. p. 656. cum in Observationibus sacris, tum in Commentario ad Apoc. 4, 6. vrget Vir solide doctus. Quorum argumentorum vim & robur vti lubenter agnoscimus; ita tamen hæc omnia comparata sunt, vt nondum audeamus, aduersus veteres aliosque audacius quidquam pronunciare, vel simpliciter eorum sententias reicere. Nam de *IV. Euangelistis* certum est, ex ipsius quoque doctissimi Viri sententia, quod & illi ad ordinem excellentium Dei ministrorum referendi sint; & quod aliis placent de *IV. Archangelis*, etsi ex Scripturis non constat nobis, nisi de vno *Archangelo*, Filio Dei; r) certum tamen ex diuinis libris est, quod inter ipsos etiam Angelos sit diuersitas quædam & ordines certi, coll. Eph. 1, 21. Col. 1, 16. etsi nostrum non est, temere sine diuina reuelatione eosdem definire. Atque vt in Regno suo Christus inter homines hominibus ministris vitur, ita quoque non minus vitur ministerio Angelorum ἐν αἰθέροις, Col. 1, 16. illi quippe sunt πνεύματα λειτουργικά, ἀποσπερόμενα διὰ τὸς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, vt docet Apostolus Hebr. 1, 14. Nec minus fit voluntas Dei in cælis, quam fieri eam optamus in terris: præsertim quum non solum alibi, vt in Ps. 18, 11. & 80, 2. & 99, 1. Deus & Christus Dominus noster super *Cherubim* vehi-

c

dica-

r) Quamuis Iudæi, vt ipse quoque Vir Cel. obseruauit, in *Pirke Eliezaris* c. 4. & alibi subinde omnes Angelos in 4. classes distribuunt, quæ singulæ suum habeant Principem, *Michaelem*, *Gabrielem*, *Vrielem* & *Raphaelem*.

dicatur, & super Arca foederis gloria Eius a Cherubim sustentata fuerit; sed & nostra *Animalia* expresse *Cherubim* nominentur infra Ezech. 10, 20. Quod licet sententiae suae obesse non putet cum Cocceio Vir doctissimus in Obseruu. S. l. c. p. 35. §. 31. quod *Cherubes* esse possint, & vere sint, *symbola omnium Dei ministrorum*, qui summa cum promptitudine, sinceritate & studio diuinæ gloriæ, Dei iussa exsequantur &c. nihil tamen impedit, quo minus etiam sub hac visione Prophetæ simul ostensum putemus, *quomodo etiam ab Angelis & caelesti exercitu promptissime fiat voluntas Principis sui, quemadmodum fieri eam vult a sanctis & ministris suis in his terris*: quum reuera sit inter hæc iusta analogia & conformitas, vt nec ipsemet diffitetur, sed probat Vir doctissimus. Difficulter sane persuademur, non proxime Angelos sub *Cheruborum* nomine esse intelligendos. Cumque *Cherubim* s. Angeli alibi etiam tanquam Dei vehiculum represententur, vt ex scripturis modo citatis probauimus: quid obest, quo minus etiam hoc loco? Certe locus, in quo nomen *Cherubim* in S. litteris immediate de hominibus dicatur, nusquam nobis succurrit. Præterea *scopus & argumentum* huius primæ & II. Visionis proxime non tam de regno Dei sub N. T. agit, quam de Iudeorum euerfione per Babylonios, etsi neque sic negamus, figuratum esse, quale illud futurum esset. Et quamuis per *Animalia & Rotas* non figurata sit tota sanctorum Ecclesia, quod Cl. Cocceius existimauit; nullus tamen sanctorum aut fidelium seruatorum Christi eiusque membrorum excludi ab huius totius Quadrigæ consortio poterit; si vere, quod cum Viro doctissimo credimus, *Regnum Christi* hisce symbolis figuratum fuit. Ita sane adplicationem piam & suauem ad omnes pias & sanctas animas huius primi visi ha-

habet B. ille *Macarius* in Homilia I. quam lectoribus nostris merito etiam commendamus,

§. XVII. Quod ad *adnotationes* nostras in hunc li- *De adnotatio-*
brum attinet, in eo illustrando adiutor nobis fuit Pl. *nibus nostris.*
Rev. & Cl. M. *Abrahamus KALL*, socius quondam
noster ab initio huius laboris; quemadmodum con-
stat ex *Dissertatione*, quam dudum exhibuit publico *de*
Codicibus Bibliorum MSS. postea minister verbi diuini
Charlottenburgi in vicinia Regiæ vrbis Berolini,
nunc vero Flensburgi in patria. Eius itaque indu-
striæ debentur cum alia, tum maximam partem,
quæ ex aliis auctoribus & interpretibus, ex *Poli Syn-*
opsi, *Cocceii Commentario*, & *Bocharti Hierozoi-*
cæ adnotata hic sunt. Substitit tamen Vir Cl. ad
XXXIX. huius prophetiæ caput, vocatione ad mu-
nus illud pastorale, aliisque curis ab huius laboris
continuatione impeditus; nobisque ut in ceteris
nonnulla, ita in ultimis illis capitibus omnia in so-
lidum elaboranda reliquit. Vnde etiam, ob tem-
poris penuriam, de significatione mystica ultimæ il-
lius visionis non, nisi pauca, subinde notauimus:
cum, quia difficile erat, breuibus verbis totius istius
sancti ædificii partes in adplicatione dilucide
monstrare: tum, ne rerum multitudine plane ob-
ruerentur incipientium studiosorum animi, qui satis
occupati iam sunt, si spectanda & animo concipien-
da sit admirabilis illius structuræ symmetria. Con-
suli vero de vberiore adplicatione poterunt Inter-
pretes, & peculiari de hoc Templo commentario
Hafenrefferus; vel crescente profectu in cognitio-
ne & sensu veritatis diuinæ, ex collatis inter se
ipsius Scripturæ S. locis hæc illustrari magis poterunt,

& tum aliorum quoque meditationes adhiberi. Vti enim *Ecclesia Christi Dei Templum est*: sic ipse *Christus est Altare*, ipse etiam *sacerdos & sacrificium*; quod ex *Brentio* nostro ad Lev. 1, 3. iam monuimus. Ceterum *Kallius* noster in notis suis constanter consulit *Schmidii* versionem Latinam, *Iunii & Tremellii* Biblia, nec non (ex *Poli* Synopsi) *Iunii* commentarium posthumum in Ezechielem. Hunc, ut a *Iunii* Bibliis distingueret, per *Iun.* vel *Iunius*; Biblia vero per *Tremell.* vel *Iun. & Tremell.* allegavit. Euoluit quoque non tantum *Poli Synopsin*; sed ipsos etiam *Criticos sacros*: quod subinde profuit ipsi ad dubia vel errata *Poli* corrigenda. Præterea *Cocceii* Lexicon & Comment. in Ezechielem, *Gussetii* Lexicon, *Maii* Oecon. V. T. LXX. Interpretes, Targum *Ionathanis*, Versionem *Syriacam*, & *Rabbinicos* commentatores, *Borcharti* Hierozoicon & Geographiam S. *Pfeifferi* dubia vexata, & *Glassii* Philologiam S. cuius tantum paginas ex nouissima edit. *Lipsensi* per compendium citamus. Auctores tamen non ubique & semper adscripsit, quorum aliquot verba adducta sunt: ubi namque facilia habuerunt & cuius obuia, suffecit, rem verbis vel ipsorum (iisdemque vel retentis, vel ex parte mutatis) vel propriis expressisse, sine illorum nomine. Neque etiam omnium Interpretum nomina, quos in hanc vel aliam explicationem conspirantes inuenit, adposuit, sed contentus fuit vno alteroque præcipuo; addito sæpiissime, *aliique*. Aliquando latine etiam ea reddidit, quæ facilia videri possunt, ut difficiliora connecteret, vel nexum & coherentiam textus, aut discrimen temporum & verborum Hebraicorum, variasque significationes seu connexiones præfixi *Vau* &c. vocula quadam aut particula sub-

indi-

indicaret ; quod tironibus non semper patet. Circa *varias interpretum sententias*, quas interdum adduxit, moneri hic voluit Ben. Lectorem, eas sæpe ita comparatas esse, ut una alteram non tollat, sed apte *coniungi* vel *subordinari* possint ; quod subinde ad ipsum quoque textum indicauimus. Vnde in talibus tantum abest, ut *attenti* lectoris animus eiusmodi diuersitate confundatur, ut meditatio potius adiuuetur. In iis vero, quæ omnino discrepant, nec simul consistere possunt, iudicium nostrum non raro interposuimus, & nihilominus pii & prudentis lectoris arbitrio tandem reliquimus, in qua sententia rectius putet sibi acquiescendum in talibus esse. Si vero unus & alter Interpretum, quem allegauimus, sub citatis phrasibus aut verbis singulares suas foueat vel tegat hypothesen, eas nemo æquioris animi *Kallio* nostro tribuerit. Duo namque cum idem adhibent verbum, non idem tamen dicunt, si constat de diuerso eorum scopo ac sensu. Sed & hæc monuisse, satis sit.

§. XVIII. Faxit DEVS T. O. M. & Dominus *Conclusio Præ-*
 noster IESVS CHRISTVS, cuius iudicia, re-*fationis.*
 gnum & gloria hic describuntur, ut ita spectemus hæc mirabilia ipsius, ne mente nostra in vanas aut inutiles cogitationes aberremus ; sed gratia ipsius adiuti ita hæc omnia consideremus, quo & nos, per veram fidem, Spiritu ipsius animati, ducamur secundum voluntatem ipsius, eandemque faciamus hic sub gratia, & illic in gloria æterna per omnia sæcula. Amen!